



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Hortulus Biblico-Moralis Et Asceticus

Pappus von Tratzberg, Franz

Ulm, 1725

Doctrina 1. Desumpta ex cap. I. lib. Genesis, in quo describitur sextiduana totius mundi creation. Adami in cuncta Dominium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61252](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61252)



FASCICULUS I.

Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

Doctrina I.

Desumpta ex cap. I. lib. Genesis, in quo describitur sextidiana totius mundi creatio. Adami in cuncta Dominium.

Considera



Uòd DEUS creatis cælò & terrâ, sole & lunâ, piscibûs & volucribûs, jumentis & bestiis, ultimò tandem creans hominem egerit artis suæ peritissimum Oratorem, qui brevi Epilogo, tanquam totius Orationis Compendio, includit ea, quæ per alias partes fusiùs discusserat: hac de causa Homo *Microcosmus* dicitur. Nec hoc suffecerat exornando tam nobili artificio; etiam supremi Conditoris Imaginem circumferre debuit, ut præfatas creaturas non includeret tantum, sed millenis gradibûs excelleret, ipsis paulò minor factus Angelis teste Prophetâ Regiò Psal. 8. quare, etsi alia omnipotentia suæ opera, ut benè elaborata, approbet DEUS, de solo tamen profitetur homine: *Delectabar per singulos dies, ludens in orbe terrarum, & delicia mea esse cum filiis hominum.* Prov. 8. Agnosce ergo Christiane Lector præstantissimæ tuæ naturæ Dignitatem: age debitas pro tantis gratis gratias, de die sæpiùs te alloquens verbis Christi Matth. 22. quærentis: *Cujus est Imago hæc?* Nónne illius, cui nulla unquam dominatur superbia? quem nulla excæcat libido? nulla immitem facit avaritia? nulla exasperat ira? nulla enervat acedia? sed qui teste

N.I.

A

Ascetâ

Ascetâ lib. 3. de imit. Chri. cap. 40. *Est semper bonus & sanctus, bene & justè agens omnia, & disponens in sapientia.* Hanc imaginem piò mentis oculò inspicere, & divinæ Cooperans gratiæ, fac secundum Exemplar, quod tibi in ea monstratur, obtemperandò monitis S. Greg. Nyss. Orat. 1. suprâ illud: *Faciamus hominem ad imaginem &c.* scribentis: non ait DEUS: *faciamus hominem ad imaginem nostram, ut irascatur, concupiscat, & mœreat; perturbationes enim non cadunt in imaginem DEI, sed Ratio perturbationum Moderatrix & Domina.* Ad imperandum natus est homo: *Quid ergo perturbationibus servis? cur Dignitatem tuam abjicis? &c.*

N.2. Dic quæso: annon indigneris Soli, clarissimo hujus mundi oculo, si vel unicâ horâ eclipsim patiens, à scopo suo, ad quem à DEO creatus est, aberret? dic: annon indigneris terræ, si ex semine in se projecto paucos vel semel tantum protrudat fructus? & tibi non indigneris, si à fine, quem intua creatione tibi præfixit Deus, totò cælò devians, inordinatis passionibus succumbas? ò te miseram & infelicem animam, quæ tam liberalem fugiens Dominum, tot Tyrannis in servam te tradis! an nescis, summam gloriam esse, gloriari in solo Rege gloriæ? an ignoras, summum esse bonum, illum tantummodò quærere in omnibus, qui solus omne bonum? ex tot creaturis, quas hoc S. Scripturæ caput à DEO conditas testatur, nullam reperire est, quæ suò desit officiò: Sol enim numquam non præest diei, Luna cum stellis numquam non nocti. Numquam non natant in aquis pisces, in aère nunquam non volant volucres, nunquam non discunt feræ per sylvas. Cunctis æstatibus surgunt è terra flores & herbæ, nascuntur ex arboribus fructus: *Ascendunt montes, & descendunt campi in locum, quem fundasti eis, terminum posuisti, quem non transgredientur.* Psal. 103. Solus homo inobediens factori suo, metam suam transeat? declinet tam enormiter à centro? eja agnoscens tandem errorem tuum, revertere, & dic cum Josepho, à Patre suo vocato Genes. 37. *presto sum, ad serviendum tibi soli, tantum adjutor meus esto, ne derelinquas me, neque despicias me DEUS salutaris meus.* Psal. 26. *Da, quod jubes, & jube quod vis.* S. August.

Doctri-